

2.

Purimos in sacris literis offerri locos, qui *Angelo-*
rum & essentiam & effecta seu studia manifestò ex-
primant & commendent, nemo facilè Christia-
norum, præsertim eruditionum, infitias ibit: ego
quoque, si tanti hunc hominem æstum averitis, in
quam plurimis idem illud conatus fui demonstrare (*) Program-
mati, quod & Christiana à me *poposcit religio, & religionis iussit*
professio, & professionis requisivit conditio. Inter alia verò, quæ
aperto hoc contextu inferunt & indigitant, assumitur etiam *ver-*
siculus septimus & octavus in capite tertio Cantici canticorum sene-
scentis (†) Regis *Salomonis*, quod ex B. JOHANNIS GERHARDI
Præceptoris nostri numquam sine elogio memorandi *Postillis*
sive homiliis Salomoneis manifestum evadit. Verba juxta fontem
Ebraicum ita habent. *En, lectus ipsius, nempe Salomonis, sexa-*
ginta potentes in circuitu ejus ex potentibus Israëlis, Omnes ipsi tenent
gladios, docti bellatores, uniuscujusq; gladius super femur suum,
propter timorem in noctibus.

Non una hujus loci est expositio, quod & ipsum laudatissi-
mus monuit Gerhardus. *Nicolaus Lira Brabantinus* (quod ulti-
mum epitheton nescio cur toties inculcet *Jobannes Drusus*) qui
commentatus est super tota Biblia, exponere maluit de *taberna-*
culo fœderis Mosaico (quanquam enim conversus fuerit Christia-
nus,

(*) Vide, si placet, Programmatum meorum IX, XXVII, XXXII,
XLIV, LXI, LXVI, LXXXIII, CX, CXXIII, CLXI, CLXXII,
CXXCV, CC, CCXIV, CCXXVI, CCXL, CCLI, CCLXIX,
CCXXCVII, CCXCIX, CCCXI,

(†) Ita scribo ex plerorumq; sententiâ, Salomonem hunc libel-
lum composuisse in senectute post conversionem. Aliàs quoq;
tres ipsius libros ita dividunt, ut dicant *Proverbia pro juvenili,*
Ecclesiasten pro virili, Cantica pro senili ætate scripta fuisse.
Vide *Petrum Palladium in Isagoge ad libb. Propheticos & Aposto-*
licos, Waltherum in Officinâ Biblicâ & c.